

nihil mihi auditu esset acerbius. Etenim ut mea quoque tibi arcana^{d)} explicem: impetrata triennii vacatione a principe Vienna^m propediem sum reversurus, libentius hercle, quam Romam aut quovis alio, cum adhuc crederem, te non tam cito Helvetios tuos revisurum et illic vitam velle degere. Aequiparare mihi videntur Romanenses omnes illos litteratos et quicquid est Italicorum hominum Vadianus et Collimitius, ut taceam interim iuvenum aliquot magistrorum cultissima ingenia. Exspecto et studeo, si qui tibi sit successor futurus. Si amico uterer Cuspiniano, audirem omnino aliquid; sed hæc tu solus scito. Ego, quem tu idoneum censueris, æquissimo animo comprobabo. Vale, mi doctissime Vadiane.

Ex Schweydnitz, XI Februarii, anno etc.

Vester Ursinus.

Excellentissimo et doctissimo viro, domino Ioachimo Vadiano
medicinæ doctori observando.

↳ poetæ laureato et amico
Zw (!) Crocaw an Hector von Wad.

a) „desyderanter“. — b) „offitio“. — c) „septemtrionaliores“. — d) „archana“.

l) Vrgl. I, Brief 79.

II 114.

2.

Konrad Grebel¹⁾ an Vadian.

Zürich. (1518.) Juli 23.

Dringende Einladung, nach Zürich zu kommen und im Hause seines Vaters Wohnung zu nehmen. Grüsse.

Conradus Grebelius Vadiano, præceptorî suo charissimo,
S. D. P.

Tuum erat, vir clarissime, ad Tigurinos iam diu te summo desiderio expectantes citius venire; meum vero, cum non venires, virum tantum, tam bene de me meritum literis Ofnerio ad te datis, ut illico^{a)} huc volares, orare. Id quod certe fecissem^{b)}, nisi tu tam cito nobis affuturum te promisisses, nisi sperassem magistrum Iacobum Valtherum et Ioannem Ofnerium te persuasuros, ne diutius abesses, abesses, inquam, quem tot iam homines ex infatigabili tui per me commendatione etiam nunc adesse exoptent. Inter quos ego et pater meus, cum te quotidie affuturum speraremus et quod tam longo tempore adventum tuum distuleris, ægre^{c)} pateremur. Non potuimus (ut, quicquid prius non scribendo

neglectum est, resarciremus) non proprium nuncium mittere; hac primum ratione, ut diem adventus tui maxime accelerandi non nesciat pater, qui te amico non utetur, nisi domum suam successeris, discipuli tui hospes futurus, ut ego apud te præceptoris mei per deum optimum maximum omnium longe amatissimi non paucos sane dies fui; deinde quod non diu hic expectare queam. Balneum enim et sororem meam alibi morantem quæsissem, nisi tu mora tua — adderem libenter molesta — impedimento fuisses. Sed si libere locutus sum, quæ tua est morum facilitas, ignoscas. Nuncium postremo missum esse scito, quod mihi per cardinalis nostri musicum nunciaris, te non prius huc venturum, quam te literis invitassem. Invito itaque atque amorem nostrum tam feliciter^{d)} mutuam te iterum atque iterum obsecro, ut me patremque meum certiores reddas per literas, quo die ad nos venturus sis, qui, nisi eides paternas succedas, facies rem omnium cum parentibus, tum Conrado tuo perquam ingrattissimam, immo molestissimam, atque ut repetam, quæ dixi: iubeo te quadriduo^{e)} ad tuos venire et domum meam, non aliam, quam per id temporis inhabitabis, eligere. Quæ in rem tuam facere potui, adeo libenter feci^{f)}, ut, si in manu mea, quod optas, situm fuisset, iamdudum etiam perfecissem. Quid consecutus sim, præsentî narrabo. — Sororem habeo nubilem; si visa placebit, visam et placentem non duxeris, per me non impeditum esse dices; tuus sum, tuus quoque paranympus esse cupio. Iocor. Parentibus tuis, quibus multum debeo, Ottilie, Katerinæ et meæ Helenæ, Annæ ancillis, Andreæ Egkio, meo fratri, quem tecum venire volo, nomine meo salutem dicito. Vale. Tiguri, die Appollinaris.

Conradus Grebelius,

Humanitatis tuæ servulus obsequentissimus.

Viro undecunque doctissimo ac integro, Ioachimo Vadiano,
poetæ et oratori laureato saluberrimæque medicinæ doctori
clarissimo, domino suo colendissimo.

a) „illico“. — b) „fecissem“. — c) „egre“. — d) „foelicitat“. — e) „quadriduo“. — f) „foeci“.

l) Vrgl. I, Register.